



BILLUART
THEOLOGIA

2

BX1749
.T7
B5
1798
V.2
c.1



SUMMA S. THOMÆ
HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA,

SIVE

CURSUS THEOLOGIÆ

Juxtà mentem , & in quantum licuit , juxtà ordinem & litteram
D. THOMÆ in sua Summa , insertis pro re nata Digressionibus
in Historiam Ecclesiasticam,

AD USUM SCHOLARUM THOMISTICARUM.

SECUNDA SECUNDÆ,

COMPLECTENS TRACTATUS

DE FIDE , ET REGULIS FIDEI , DE SPEI , ET CHARITATE,
à *quest.* 1. ad 46. De Prudentia , Jure , & Justitia , à *quest.* 47. ad 76.
De Contractibus , à *quest.* 77. ad 78. De Religione , & Vitiis oppositis,
à *quest.* 79. ad 100. De cæteris virtutibus Justitiæ annexis,
Fortitudine & Temperantia , à *quest.* 101. ad 170.

OPERA , ET STUDIO

R. P. FR. CAROLI RENATI BILLUART , REVINIENSIS , ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,
Theologiæ Doctoris , necnon Provinciæ Gallo-Belgiæ ejusdem Ordinis iteratò Provincialis.

EDITIO SECUNDA MATRITENSIS

*cæteris antebac opera & studio D. PETRI DEL CAMPO ET LAGO , Philosophiæ , ac Sacræ Theologiæ Audit.
nunc Humaniorum litterarum Profess. longè correctior.*



SUPERIORUM PERMISSU.

EX TYPOGRAPHIA RAYMUNDI RUIZ. ANNO MDCCXCVIII.

Prostrant apud Viduam Bernardi Alverá , & Filios in via vulgò Carrera de San Gerónimo.

1798

Capilla de San Gerónimo
Biblioteca Universitaria

62105

Bx 1749
77
B 5
798
V 2

SUMMA S. THOMAE
CORSUS THEOLOGICUS
AD USUM SCHOLARUM THOMASTICARUM
SECUNDA SECUNDA
COMPLETENS TRACTATUS
DE FIDE ET REGULIS FIDEI DE SPIRITU ET CHARITATE
in quaest. 1. ad 40. De Prudentia. In 2. & 3. De Fide. In 4. & 5. De Contrariis. In 6. & 7. De Religione. In 8. De Virtutibus. In 9. De Peccatis. In 10. De Temporalibus.

OPERA ET STUDIO
R. P. CAROLI RENAULTI BILLYARTI REVERENDI ORDINIS PRÆDicatorum
Theologiae Doctoris, necnon Provinciae Galliae-Belgicae quondam Ordinis Praedicatorum



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON



UNIVERSIDAD DE LEON
FONDO
A. B. PUBLICA DEL ESTADO

TRACTATUS DE FIDE.

D. Thom. 2. 2. a Quæst. 1. ad 16.

DISSERTATIO I. DE OBJECTO FIDEI.

D. Thom. Quæst. 1.

ARTICULUS I.

Quædam sit Objectum Fidei.

Fides variè sumitur. 1. pro fidelitate in promissis servandis, Rom. 3. 2. pro conscientia, ib. 5. 3. pro fiducia, Jacobi 1. 4. pro veracitate, seu inclinatione dicendi verum, Jer. 7. 5. pro ipsa doctrina & Objecto Fidei, Act. 6. 6. pro virtute supernaturali, qua credimus veritates a Deo revelatas, & quæ definiuntur ab Apost. Hebr. 11. *Sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium.* Verum, cum quilibet habitus a suo objecto specificetur, & inde ejus natura dignoscatur, Auctor hunc Tract. ab objecto Fidei incipit, de ipso Fidei habitu infra q. 4. acturus; cui metodo in hærens, Præmitto 1. In omni potentia, vel habitu triplex distingui objectum, materiale, formale quod, & formale quo, seu sub quo. Materiale est id omne, circa quod versatur potentia, vel habitus; formale quod est id, quod per se & ratione sui attingitur, & ratione cujus cætera attinguntur. Objectum formale quo, seu sub quo, est id, mediante quo objectum formale quod attingitur. Exemplum poni solet in potentia visiva. Objectum materiale sunt omnes res visæ, formale quod color, formale quo lux.

Præmitto 2. Triplicem in Deo distingui veritatem, scilicet in essendo, in cognoscendo, & in dicendo. Veritas in essendo, quæ dicitur transcendentalis, est ipsa Dei essentia, qua verus Deus est, & a falsis diis distinctus; veritas enim transcendentalis non addit aliquid ad essentiam, sed est ipsa essentia cum habitudine ad intellectum. Veritas in cognoscendo est infinita Dei sapientia, qua cognoscit omnia, prout sunt. Veritas in dicendo est summa Dei propensio ad dicendum verum, & dicitur veracitas, qua fit, ut neminem fallere velit, aut possit; sicut ratione infinitæ sapientiæ falli non potest.

Dico 1. (2. 2. q. 1. a. 1. o.) Objectum formale quod, seu, ut alii vocant, objectum attributionis Fidei, est prima veritas in essendo, seu Deus ipse ut Deus excedens rationem naturalem: quod addo, quia Deus ut Auctor naturalis potest luminæ naturalij cognoscere independentè a Fide. Prob. (ib. & ad 1. & 2.) Illud est objectum formale quod alicujus habitus, quod principaliter ab eo attingitur, & ratione cujus cætera attinguntur. Sic sanitas est objectum formale quod Medicinæ, quia principaliter a Medicina attingitur, & ejus ratione cætera, pulsus, urina, medicamina, &c. attinguntur; atqui prima veritas in essendo, seu Deus, ut verus Deus, est id, quod principaliter a Fide attingitur, cætera autem, ut quæ pertinent ad humanitatem Christi, ad Sacramenta, & quæcumque alia in sacris Scripturis contenta, attinguntur in ordine ad Deum tanquam ad id, quod præstantissimum est inter omnia, & ut magis cognoscatur: ergo.

Confirm. Fides est virtus Theologica, & intellectualis: ut virtus theologica habet Deum pro objecto formali quod, per hoc enim virtutes Theologicæ ab aliis distinguntur: ut virtus intellectualis habet verum pro objecto formali quod, objectum enim formale quod intellectus est verum: ergo habet pro objecto formali quod Deum verum.

Dico 2. (1. Pars ib. o.) Objectum formale quo, seu sub quo Fidei est prima veritas in dicendo, seu divina veracitas revelans, connotans primam veracitatem in cognoscendo, seu infinitam Dei sapientiam. Prob. 1. Pars. Objectum formale quo Fidei in communi est veracitas dicentis; in hoc enim distinguitur assensus Fidei ab assensu scientifico, quod motivum assensus Fidei sit auctoritas dicentis; motivum autem assensus scientifici sit veritas principij, ex quo elicitur conclusio; ergo objectum sub quo Fidei divinæ est veracitas Dei dicentis & revelantis.

Theol. Biliaryart. Secunda Secundæ.

Prob. 2. Pars. Fides est certa & infallibilis: ergo debet nisi motivo infallibili. Subsumo; atqui veracitas divina revelans non habet quod sit infallibilis, nisi connotet infinitam Dei sapientiam: ergo. Prob. Min. Ut veracitas divina revelans sit infallibilis, non sufficit, quod fallere non possit ex malitia; sed requiritur, quod etiam fallere non possit ex ignorantia, adeoque quod Deus ipse falli non possit cognoscendo: atqui quod Deus falli non possit cognoscendo, provenit ex ejus infinita sapientia, qua cognoscit omnia, prout sunt sine ulla falsitatis admixtione: ergo.

Dico 3. Objectum materiale adequatum Fidei est omne revelatum a Deo, primario Deus ipse, cætera secundario. Prob. Objectum materiale adequatum alicujus potentie, vel habitus est id omne, quod potest attingere, ut subest suo objecto; seu rationi formali sub qua: sic omne corpus coloratum est objectum materiale adequatum potentie visivæ, quia potest illud attingere, ut subest luci, quæ est ejus ratio formalis sub qua; atqui Fides attingit omne revelatum, ut subest veracitati Dei revelantis, quæ est ejus objectum formale sub quo, ut dictum est, Deum tamè primario, cætera secundario, ut etiam dictum est Conclusionè 1.: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contrà primam Conclusionem. Omne, quod subest objecto formali quo alicujus habitus, vel potentie, pertinet ad ejus objectum formale quod; atqui omne revelatum subest objecto formali quo Fidei, ut patet: ergo non solum Deus, sed omne revelatum est objectum formale quod Fidei. Prob. Maj. ex aliis habitibus & potentiis sic quia abstractio ab omni materia est objectum formale quo Metaphisicæ, non solum Deus, sed omne ens prout abstractum ab omni materia est objectum ejus formale quod: sic, quia lux est objectum formale quo potentie visivæ, non aliquid particulare coloratum, sed omne coloratum; ut subest luci, est objectum formale quo potentie visivæ: ergo. R. D. Maj. omne, quod subest objecto formali quo alicujus habitus, pertinet ad objectum ejus formale quod, si attingatur ab illo habitu principaliter & ratione sui, C. si minus principaliter & ratione alterius, N. Fides autem, quæ est virtus Theologica, Deum principaliter & ratione sui attingit, cætera revelata ratione Dei & in ordine ad illum. Unde, quamvis subest rationi ejus formali sub qua, non pertinet nisi ad objectum ejus secundarium & materiale, seu, ut alii dicunt, extensionis. Et hinc est disparitas ab exemplis oppositis: in Metaphisica namquæ & in potentia visiva non est aliud principale, quod per se primario & ratione sui attingitur, & ratione cujus cætera attinguntur; sed omne ens abstractum a materia per se & independentè ab illo attingitur a Metaphisica: similiter omne coloratum lucidum a potentia visiva. E contra in Medicina v. gr. quia corpus sub ratione sanitatis attingitur principaliter & ratione sui, cætera verò ut pulsus, urina, medicamina, &c. attinguntur minus principaliter & ratione corporis sanandi; idè hæc quamvis subest eidem rationi formali sub qua medicinæ, sunt tamè tantum ejus objectum secundarium & extensivum, solum autem corpus ut sanabile objectu formale quod.

Inst. 1. Si Deus de se nihil revelasset, sed de aliis tantum remaneret Fides; sicut, si per impossibile Deus non esset, remaneret Metaphisica: ergo. R. D. Ant. Remaneret fides ejusdem rationis, ac ea, quæ nunc est, N. Non enim tunc Fides foret virtus Theologica. Diversæ rationis, C. Remaneret autem eadem metaphisica; quia, ut dictum est, non considerat Deum ut quid principale ratione sui, & cætera ratione illius, sed omne ens ut

A

abs-